



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

Verba exhortatoria ad Bellum Sacrum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

conquassata ipsorum capita sub jugo  
 Evangelii tui inclinando, & corda infi-  
 delium ad te convertendo : ut sciant  
 gentes, quia non est alius Deus præ-  
 ter te: & juxta Regis Prophetæ oracu-  
 lum dicant omnes in nationibus, re-  
 gnavit à ligno *Jesus, Deus homo.*

---

*Verba exhortatoria ad Bellum  
 Sacrum.*

1. **F**inis venit, venit finis super qua-  
 tuor plagas terræ. *Ezech. c. 7.*
2. Dies tubæ & clangoris super Ci-  
 vitates munitas. *Sopho. 1.*
3. Nova Bella elegit Dominus. *Ju-  
 dic. 5.*
4. Confortamini filii Benjamin in  
 medio Jerusalem, levate vexillum,  
 clangite Buccinâ : levate signum in  
 terrâ, clangite Buccinâ in gentibus,  
 sanctificate super eam gentes. *Jerem.  
 6. & 51.*
5. Accipe sanctum gladium munus  
 à Deo, in quo dejicies adversarios po-  
 puli mei Israël. 2. *Machab. 15.*
6. Accipe Galeam salutis, & gla-

4.  
dium spiritûs, quod est Verbum Dei!  
*Ephes. 6.*

7. Vivus est sermo Dei & efficax,  
& penetrabilior omni gladio ancipiti.  
*Hebr. 4.*

8. Nolite arbitrari quia pacem veni  
mittere in terram; non veni pacem  
mitte, sed gladium. *Matth. 10.*

9. Cœpit Jesus prædicare, & dice-  
re: Pœnitentiam agite, appropinqua-  
vit enim regnum Cœlorum. *Matth. 4.*

10. Euntes in mundum universum,  
prædicate Evangelium omni creatu-  
ræ: qui crediderit & Baptizatus fue-  
rit salvus erit. Qui verò non credide-  
rit, condemnabitur. *Matth. 7. v. 10.*

11. Data est mihi omnis potestas in  
cœlo & in terrâ: euntes ergo docete  
omnes gentes, Baptizantes eos in no-  
mine Patris & Filii, & Spiritûs San-  
cti; docentes eos servare omnia quæ-  
cumque mandavi vobis: & ecce ego  
vobiscum sum usque ad consumma-  
tionem sæculi. *Matth. 28.*

12. In mundo pressuram habebitis, sed  
confidite, ego vici mundum. *Joan. 16.*

Ex his Prophetarum, Apostolo-  
rum, & Jesu-Christi disertissimis ver-

bis liquidò constat unicum finem om-  
 nis Belli Sacri esse salutem populi, con-  
 versionem & sanctificationem mundi.  
 Ideò enim Verbum Caro factum est,  
 & habitavit in nobis. Propter hunc fi-  
 nem unigenitus Dei Filius descendit  
 de sinu Patris, & Incarnatus est de Spi-  
 ritu Sancto, natus ex Maria Virgine,  
 & Homo factus est, Crucifixus etiam  
 pro nobis. Quam ob rem oportet  
 omnes quidem fideles, sed maximè  
 maximos Pontifices, Reges & Princi-  
 pes Christianos, totis viribus in tan-  
 tum opus incumbere; ne pereant in  
 nostrâ scientiâ tot centena animarum  
 millia, pro quibus Christus mortuus  
 est. O Trinitas Divina! sicut tuorum  
 minimo hanc mentem inspirasti; sic  
 Potentioribus majorem infunde cha-  
 ritatem, ad consummationem gloriæ  
 tuæ in universo orbe terrarum; ut  
 sciant omnes gentes, quia tu solus es  
 Deus, unus, trinus, optimus, maximus,  
 omnipotens.

Utinam ardentiora tuorum adora-  
 torum desideria, & sanctiora vota exau-  
 diens, cantemus omnes gloriosè Deo  
 uni trino canticum novum novi Ho-

minis, qui in Throno suo Eucharistico substantialiter residens, nova facit omnia! Adimple fideles tuos novâ lætitiâ cum vultu tuo, fac delectationes tuas novas in Dexterâ tuâ usque in finem. Ab ortu solis usque ad occasum magnum sit nomen tuum in gentibus, & in omni loco sacrificetur & offeratur nomini tuo oblatio munda, oblatio Agni Dei Immaculati Jesu-Christi, qui tollit peccata mundi. Amen.

